



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Davidis Regii Prophetae Psalterium

Moritz <Hessen, Landgraf>

Smalcaldiae, 1593

VD16 B 3258

Psalmvs CXI. Confitebor tibi Domine, in toto &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Hostis calcandum pedibus ceu subdo scabellum.
Sceptra tui regni Deus est ex arce Sionis
Missurus populis, per totum habitantibus orbem.
Tu medios hostes inter dominare poteris.
Sicq; triumphanti pia gens tibi sponte litabit,
Atq; diem latum celebrabit clara per orbem,
Tot natos gignes, gutta quot rore liquefcunt.
Quem iuramenti non pœnitet, ipse Iehoua
Iurauit dicens: Ad ritum Melchisedeci
Summus & æternus peccantibus esto sacerdos.
A dextra Dominus tibi stans, acerrimus vltor,
Te iuuat in Regum frangendis viribus, ipsi
Atq; tibi obstantum, quos illius ira domabit,
Iudicium exercens, populi vt pia iura sequantur,
Vtq; cadaueribus sint omnia plena ruentum,
Tunc inimicorum, victo cum principe mundi.
Antè tamen patiens bibit ex torrente laborum,
Quàm via sternatur referenti pulcra trophæa,
Hinc caput extollet victor super astra leuatus.*

PSALMVS CXI.

Confitebor tibi Domine, in toto &c.

Ff

Laudia

L Audibus exprōtis ex toto corde Iehouam,
Iustorum in cœtu consilioq; feram.
Virtutes Domini diuinæ, opera omnia magna:
Hæc recolens animus gaudia summa capit.
Sunt, quæcunq; facit, dignissima laudis honore,
Iusticia illius tempus in omne manet.
Et clemens statuit Dominus, miserator & idem,
Ne, quæ mira facit, nesciat vlla dies.
Latificas solitus præbere timentibus escas,
Custodit pactum, pro pietate, suum.
Nota facit populo miranda opera omnia, cui dat
Gentibus excisis, regnaq; multa dedit.
Iusticiamq; fidemq; operatur dextra Iehoue,
Illius ut rata sic firma statuta manent.
Seruentur cunctis ætatibus inuiolata,
Qua decet hæc cura, relligione, fide.
Ioua redemptorem populo mittetq; salutem,
Fœdera sanciuit nulla abolenda die.
Ipsius est sanctum, celebre ac venerabile nomen,
Qui Dominum metuit, corde animoq; sapit.
Eximia est virtus, re semper id esse, quod audis,
Hinc tua perpetua est gloria lausq; Deus.

PSAL.